

PALLADIUM  
FELICITATIS REI PVBLICAE

VIRO

MAGNIFICO MAXIME STRENVO  
GENEROSO AMPLISSIMO CONSVLTIS-  
SIMOQVE DOMINO

DOMINO

IOANNI IACOBO  
MOELLERO

CONSVLI HACTENV  
CAMERARIO EXTRA CIVITATEM ECCLESIA RV M CVRATORI  
DOMVS SPIRITVS SANCTI HOSPITALIS PRAEFECTO  
LONGE GRAVISSIMO

TRADITIS

*DIE XXII MARTII A. MDCCLVII*

FASCIBVS  
PRAECONSVLARIBVS

CONCREDITVM

VENERABVND A MENTE

GRATVLATVR

*ATHENAEVM ELBINGENSE*

INTERPRETE

IOANNE DANIELE HOFFMANNO

CONRECTORE ET PROF. PVBL.

ELBINGAE, LITTERIS NOHRMANNIANIS.



Quod ridet, populi, florida faustitas,  
Inter vestra volans imperii fata:  
Quod pax e gremio munifica manu  
Spargit splendida munera;

Haud vestro studio, credite, perfici  
Rerum tanta potest prosperitas, latet  
Terrenis, penitus prouida Numinis,  
Curis, tecta potentia.

Haud frustra radiant lumine tempora  
Regum texta comis, nec temere manu  
Vibrant sacrilegis sceptrum minantia,  
Nec fasces pauidi gerunt.

Ex his vestra salus: hosce potens manus  
Armat consilio, pectora roborat,  
Sublimique locat culmine, longius  
Vt mens prospiciat malum.

Excelsos animos enthea vis rapit:  
Iam conantur opus, faxea dissilit  
Moles, strage cadunt corpora, faeuens  
Ne laedat violentia.

Quis cordi tribuit, flectere legibus  
Gentes indociles, & miseros ope  
Solari? imperio quis docet obicem  
Prauus ponere moribus?

Quis menti indiderat, crescere mercibus  
Fortunas populi: carbasa, flantibus  
Ventis, nauigium pellere, per mare,  
Multis diuitiis graue?

Sane munera sunt, quae data coelitus,  
Vt tantum valeant ingenio viri,  
Praefecti populo, quem faciunt bonum  
Florentemque opulentia.

Horum subsidio Palladis atria  
Florent, artificum sunt agiles manus,  
Quidquid claustra tenent orbe recondito  
Terrae, sedulitas parat.

Vires ingenii munificentia  
In multis acuit: praemia non sinunt  
Excultos studiis prorsus hebescere, et  
Ciues barbariem pati.

Tantum praestat opis, qui populum regit,  
Diuinis locuples dotibus, vt fuget  
Duram pauperiem, patria neue sit  
Gratis nuda decoribus.

Quam vexat rabies regna carentia  
Isthoc palladio: quo ruit impetu  
Tam funesta mali vis, velut aequoris  
Effusi vehementia;

Cum rupto glomerant aggere fluctuum  
Se vasti tumuli, florida gramina  
Foedant illuue, turpis & humidi  
Apparet facies agri.

Quam languet grauib. Persia cladibus,  
Iustis orba diu regibus: aemuli  
Regni sceptr. tenent, quae lubrica excidunt  
Fraudi sacrilega manu.

Gazae dispereunt, prodiga mercium  
Gentis barbaricae copia diffluit,  
Fallax hospitium praebet inedia  
Dira forte vagantibus.

Cunctis nulla salus, quam pariunt bonae  
Leges, laxa vagis frena licentiae  
Permittunt furiis, horrida suos  
Ciues caede lacerare.

Plectuntur miseri, coeca procacitas  
Cum saeuit procerum: nec populi vacant  
Culpa, non memores muneris haud leuis,  
Iuste a Principibus regi.

Hos fungi voluit fiderei vice  
Patris, terrigenis, qui cupit, vt bene  
Sit, vitaeque sua tam liceat frui,  
Ne cuiquam sit acerbior.

Vere progenies Numinis, integros  
Conseruans populos, quos beat & fouet  
Prudens consilium cum sapientia  
Celsis mentibus indita.

Felicem patriam! cui soboles sua  
Nunquam degenerat, nec patrium decus  
Obscurat, validis feruida viribus  
Longe extendere commoda.

His dignum regimen, quod dedit Arbiter  
Rerum, nec voluit quemque capeffere  
Fasces, ni simili lumine fulserit  
Diues muneribus suis.

PRAECONSVL, TVA sunt, quidquid honoribus  
Summi consilii iam addere gestiunt  
PATRES, TE proprium publica vindicat  
Communisque sibi salus.

Ad quos TV genitus progredieris gradus,  
Finxerunt Themidos TE studio suo  
Mystae, ac ingenii prompta sagacitas  
Complures super extulit.

Tantis muneribus nunc decus addito  
Supremum, populi quo vigeat salus;  
Hac maius nihil est, quod memor optimi  
Doni posteritas canat.